



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 70. Isidorus Cardinalis Legatus Constantinopolim missus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. A. C. 1451. rent. Hæc illorum Epistola, Græce, & latine scripta, exstat in collectione Auctorum Rerum Bohemicarum, quæ in Bibliotheca Collegii Pragensis habetur.

§. LXX.

Isidorus Cardinalis Legatus Constantinopolim missus.

Interea tamen Legati, quos Constantinus Romam decreverat, instanter Papam rogarunt, ut Virum scientia, ac probitate clarum mitteret, qui junctis cum Imperatore viribus schismaticorum conversioni incumberet. Nicolaus horum precibus motus Isidorum Cardinalem Græcum, Kioviæ in Russia Archiepiscopum ab Eugenio IV. in Florentina Synodo Cardinalium Collegio adscriptum, *Æn. Sylv. de Europ. c. 3.* Constantinopolin decernit. Hic itaque Roma proficiscitur, & prima Legationis suæ auspicia optatum sortitura effectum videbantur, Græcis sive demum vere, sive fide unionis Decretum acceptantibus. Imperator quoque Cardinalem summo quo potuit, honore excepit, ac die duodecima Decembris unacum Aulicorum suorum nonnullis, ac paucis quibusdam Ecclesiasticis unionis Decreto assensit. Verum sinister hujus acceptationis eventus nonnisi novum pristinae Græcorum

in

in suo schismate obstinationis suppe-
ditavit argumentum.

Sæcul. XV.
A C. 1451.

§. LXXI.

*Laurentius Justinianus Patriarcha
Aquilejensis a Papa creatus.*

Nicolaus V. cum olim ad S. Georgii in
Alga, Insula altero a Venetorum
urbe lapide versus occasum distita, Cano-
nicus regularis esset, ibi familiarem sibi
habuit Laurentium Justinianum, qui
ex Illustrissima Justinianorum familia Ve-
netiis natus, eandem instituti rationem
profitebatur. Eugenius Viri meritis jam
antea permotus, reluctanter licet, Vene-
tiarum Episcopum renuntiabat, doctri-
na ac pietate magis, quam ipso hoc
dignitatis fastigio conspicuum. Tanta
autem veneratione ac honore præclari
hujus Viri merita profecutus est Nicolaus,
ut sollicite eundem ad altiorem digni-
tatis gradum elevare quæreret, quo am-
plioribus magisque diffusis virtutis suæ
radiis illustraret Ecclesiam. Opportu-
nam ad hoc sibi offerri occasionem cre-
debat Pontifex ex obitu Dominici Mi-
chaelis Patriarchæ Gradensis; cui Aqui-
lejensis quoque Patriarchatus per Bullam
octavo die Octobris datam annexus e-
rat. Nicolaus igitur solo suffragio merito-
rum, quibus Laurentius Episcopus e-
mine-

Baillet. Vit.
Sanct.
V. Sept.